

Dissertationem inauguralem de hydrope ... / praeside Georg. Franc de Frankenau ... publicè eruditissimis examinandam sistit Henricus Emanuel Rüel ... M DC XCIII.

Contributors

Franck von Franckenau, Georg, 1643-1704.
Rüel, Heinrich Emanuel, active 1693.

Publication/Creation

Wittenbergae : Literis Kreuzigianis, [1693]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/sth9bphg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

De,

HYDROPI

Auctoritate

Gratiosiss. Facult. Medicæ

PRÆSIDE

DN. GEORG. FRANCO

de FRANKENAV,

Aliqvot S.R.I. Dnn. Electorr. & Principp. C

filiario & Archiatro splendidissimo, Com. P. Cæs. Pathol. Pro

longè celeberrimo, Acad. Leopoldino-Imperial. Adjuncto meri

ac Italicæ Recuperatorum Collegâ Gravissimo &c.

Domino Patrono ac Promotore suo, summo

observantiâ æternùm devenerando,

PRO LICENTIA

Obtinendi Gradum, Privilegia atqve Insignia Doctoris,

Publicè Eruditissimis examinandam

sistit

HEINRICUS EMANUEL RûE

Stargardia Pomeranus.

An diem Octobr. A. S. P. c13 13c XCIII.

DISSERTATIONEM IN AGRICULTURA
DE
HYDRO

Auctoritate
Gravissimi Patris, Medici
PRAESIDI

DN. GEORG. FRANO
DE FRANKENAU.

Alfredi & R. Ludw. Electoris & Principis
Sacro-Roman. Imperialis, etc.

Dominici P. ...
PRO LICENTIA

Obiit ...

HEINRICUS EMANUEL RA

...



I. N. J.

PROOEMIUM.



Vi hodiernam cum Veterum sub examen vocare sibi proponit, medendi methodum; Is haud levia sane hanc inter & illam deprehendet discriminis argumenta. Quippe quod Veteribus ratione quidem haud carentibus, ea tamen minus quam recte utentibus, experientiaeque suae non

absque pertinacia insistentibus, ipsique ad minimum magis quam rationi fidentibus placuit, id plane abhorremus; Non quidem ac si omnia quae de medendi methodo in Veterum scriptis leguntur, plane rejicere animus nobis esset: Verum id confutatione dignum summeque necessarium esse nostra nobis dicitur ratio, non quando (uti non raro fecerunt) & ratione & experientia, ambabusque unitis res suas i. e. curas, compositiones medicaminum, propinationes seu applicationes eorum caeteraque ad Medicinae integritatem pertinentia aggressi sunt, uti jam cunctis qui Medici rationalis nomen merere, possidereque jure contendunt, convenit: Sed si nuda experientia armati non vi medicamenti effectum, quem tamen edit, atque absque experientia ederet, tributum volunt, atque sic efficaciam

virtutemque medicaminis non ex ipso medicamento, sed tantum ex suis, quas tandem licet non vera semper sequatur experientia, observationibus deducunt ac judicant, non attendentes quod sæpè altera alteri simillima observatio propter levissimam non rarò minimamque circumstantiam maximè sibi contrarietur. Sin igitur isti experientiam plenis buccis crepantes, rationis verò expertes, unum medicamentum, quod expertum possident in utrisque propinare vellent affectibus; Nonne ingentem experientiæ suæ ex effectu, qui ex necessitate physica contrarius contingit, viderent defectum. Sed hæc mittamus & hoc saltem dicamus, quod Veteres sicuti falsam pro vera & genuina possidebant experientiam, ita falsæ quoque ex illa oriebantur relationes, rerum & morborum descriptiones, affectuum causæ, causarum remotio, remotionis minùs recta methodus. Et hæc fuit causa, ut sæpius sed vix sufficienter & exactè descriptum affectum, quem Hydropem omnibus salutaris Medicinæ Patronis atque cultoribus appellare placuit, exactè satis delineare ejusque pravam naturam explorare, aptum subjectum indicare, veras causas exarare, citam, tutam jucundamque curam manifestare, atque ab injuria, qua ex falsa Veterum hypothese hepar premebatur, ac sedes hydropis in ipso tantum quærebatur, hepar vindicare placuit. Concedat summus utriusque vitæ & salutis nostræ Medicus CHRISTUS JESUS huic nostro labori salutarem suam gratiam, ut omnia ad desideratum & morbi enodationis & solutionis perveniant gradum.

Thef. I.

DE quocunque malo hominem affigente dicturus, minimè peccabit, si quædam de Sangvine tanquam fluido nostro universali atque primaria principalique causa & subjecto omnium symptomatum morborumque & interiorum & exteriorum præmiserit. Equidem vix fieri potest, quin à
rebus

rebus licet exteris ac violentis lædamur, simul hac læsione universale nostrum fluidum, humidum primigenium, nec non calidum illud Veterum innatum, non solum in circulatione impediatur, sed etiam innumeris aliis modis corrumpatur & sic tam internorum, quàm externorum affectuum Mater audiat dicaturque.

Thef. II.

Nostri autem sanguinis massam ex innumeris ferè partibus heterogeneis constare satis notum, easque nec merè Æolinas, nec tantùm Æreas, i.e. pingves & maximè exaltatas, neque solum dulces, sed & amaras, acidas, acres, aquosas, aut terreas, volatiles vel fixas, spirituosas sive minimè tales ita inter se mixtas perhibemus, ut nulla ne quidem minima præ aliis prerogativæ & abundantiaæ jus, nisi de toto nostro sanguine actum & conclamatum esse deberet, habeat.

Thef. III.

Ne vero quis credat sanguinem sub forma ejusmodi heterogenea quoque apparere. Quin potius diversis licet minimis insensibilibus particulis, figurâ, motu modisque aliis differentibus, sensibilibus tamen sub globulis purpureis, quos sanguinem κατ' ἐξοχήν quidam appellant, ut & aquâ & gelatinâ, quæ conjunctim lymphæ & feri nomine nunc veniunt, compositum putet. Vid. *Excell. D. BERGERI*, h. t. Rect. Magnifici, atque Decani spectatissimi, Patroni atque Præceptoris æternùm sanctè colendi *Institut. physiol. Thef. 29.* Hæcque tres maximè sensibiles sanguinis partes, quam diu motu suo intestinô & circulari, quos sub uno vitalis nomine comprehendimus, adhuc salvô fruuntur, ne quidem aliam, quàm magis vel minus rubicundam ostendunt faciem.

Thef. IV.

Atque hæc facie quam diu (non loquimur de per venas emisso, in quo tres supra dictas partes deprehendere licet, sanguine sano) sanguinis nostri massa superbire potest, tam diu omnium morborum minas symptomatumque & simplicium & compositorum temnit invasionis crudelitatem. Ut autem in tali vigore atque virtute contra hostes suos infensissimi-

mos per omnem vitæ cursum fortiter strenueqve pugnare eosque è regione sua expellere, atqve sic superare possit, opus habet suis, quibus se contra hostilem & sæpè satis impetuofum impetum defendere potest, instrumentis. Eorum verò usus nullâ ratione, ut nos quidem opinamur magis facilitatur atqve adjuvatur, quàm continuâ sic dictâ digestionem & perpetuâ depurationem. Si enim his nostra armata massa sanguinea, non potest non instrumentis suis erga periculoforum morborum congeriem rectè nec absqve fructu uti, atq; tali modo de victoria satis gloriose triumphare.

Thef. V.

Maximum autem & amplissimum, quod nobis sanguinis instrumentum audit, erit tota machinæ corporis nostri compages, nam negare non possumus, in omnibus corporis nostri partibus aliqualem sanguinis fieri depurationem, quicquid etiam in contrarium afferat *Cl. BONTEKOLL, tr. de Vita & Morte Hom. p. 78.* dum dicit, illos non parum falli, qui sibi per poros transpirationem persuadent, & quod maximum si crederent sub ipsa cute imò ex pectore atqve abdomine tot membranarum musculisque cinctis tectisque, evaporationem fieri posse. Hæc enim si illic quoque atqve ubique fieret, transpirationem inquit non solum illâ, quâ nunc sublevamur decies majorem existere putat. Impossibilem quoque pororum in illo loco ubi tot membranarum sibi invicem incumbentes inveniuntur pronunciat existentiam atqve permansionem; Et si possibilis esset ac adesset, atqve posita hæc tam liber vaporum exitus concederetur, frigus quoque facilius noxam nobis suam inferre posset; Quid, quod æstuosum æstatis tempus, regiones sæpè calidissimæ, Balnea aliàs consummentia, labores emacientes, non solum tali in statu tolerari non possent, verum propter consumptionem humorum nimiam, nos quoque consumeret. Sed hæc rationes licet rationales satis videantur, contrariantur tamen quotidianæ experientia, quippe si v. g. sudoriferum aliquod assumamus, nonne transpirationem tam in glandulosis quam iis destitutis partibus experimur satis sensibilem, non pectus tantum neque abdomen, sed & ipse manuum volæ aliæque partes etiam si densissimæ à sero

sero sanguinis nostri neque merè malo neque purè bono irrigatæ atque madidæ cernuntur, nec aliter fieri poterat: quoniam ubi vis tubuli & pori obuii sunt, quod vel unicò experimentò patet, quando apices digitorum stanno vel argento polito procul etiam applicamus atque illorum evaporationem, quæ in hisce subjectis se prodit expectamus. Possunt quoque pori atque tubuli manifestè satis microscopiorum ope demonstrari. Vid. de his Magnificus atque Excell. D. *FRANCUS* Patronus atque Promotor summâ observantiâ æternùm venerandus, qui in *tr. Bona Nova Anatomica* §. 33. & 34. p. m. 16. seq. prolixè deducit ex optimis & curiosiss. auctoribus, ut & Excell. D. *VATERUS*, Patronus Præceptorq; omnis observantiæ cultu perpetuò prosequendus, in *præcept. & experim. Anat.* nec non Illustr. *MALPIGH. de cute; STENO anat.*

Thef. VI.

Præcipuè verò depuratorii instrumenti locum sibi vendicant viscera majora, Hepar scilicet, Lien, renes aliaque glandulosa & tubulosa corpora &c. Verum hæ partes omnes ad integritatem corporis spectantes quoniam glandulosâ donata sunt naturâ non alias quam naturæ similes edere possunt actiones, nunc autem in nullis partibus magis, quàm in glandulis & glandulosis visceribus depurari & istiusmodi depuratione perfici sanguinem earum structura satis implicata, gyrosa aliaque vel ad bilis, vel lymphæ, vel feri falsi secretionem sanguinisque perfectionem apta sufficientissimè demonstrat, quòd autem in hoc viscere alia quàm in alio sit structura ex diversis ab invicem, quos separant, humoribus satis liqvet; In hepate enim longe alienum à lienis liqvore segregari liqvorem, neminem in physiologia vel parum versatum latebit, neque unum ex his quoad omnia cum seroso illo liqvore qui renum ope producitur convenire, eidem patebit, neque hunc ipsi quem intestinorum transmittunt glandulæ idem videbit similem.

Thef. VII.

Modus tamen secretionis etsi difficultatibus suis non careat, eum tamen ita concipimus, quod licet res secretæ ma-
xim

ximè saepe inter se differant, & quamvis secretionis organa non una semper sint eademque, revera tamen secretionis modum non solum in partibus glandulosis, sed & tubulosis, vel porosifis tantum, esse unum idemque, neque contrarium videmus, nam eodem modo, quo pars sanguinis per venam portæ ad Hepar, tanquam genuinum bilis colatorium affertur, eodem quoque modo lien per arterias numero plures atque à Cœliacæ ramo provenientes suum adhuc colandum accipit sanguinem, nec aliâ ratione in hepate bilis quam in liene lymphæ secernitur, & quanquam in liene sanguis ad bilis separationem aptior redditur, ac per venam ipsi propriam, quæ nihil aliud, quam splenis ductus sinuosus continuatus atque extra lienis corpus existens magis induratus, nec adeo tenuis, in portæ truncum protruditur, & tamdiu impellitur, donec partes Θ ino Δ ææ atque balsamicæ in fine extremitatum ramorum venæ portæ quæ variâ suâ torsione mirabilem glandularum structuram efficiunt, segregentur atque à principiis vasorum biliarium, propter istiusmodi particulis convenientem, quæ gaudent cavitatem excipiantur, atque mediantibus ductibus suis sub communi & venarum & ductuum biliarium involucro, utpote Glissonii invento, mittantur ad amplissimum bilis receptaculum. Reliquus sanguis his poris non proportionatus, per venæ cavæ furculos in illius truncum mittitur, ut per circum redire & ulterius perfici queat. Bilis, quæ per extremitates vasorum facta est, jam vidimus secretionem, ergo non inutile erit in Liene quoque lymphæ secretionem, sive secretionis modum, quem à bilis differre negamus, examinare; Modum dicimus unum eundemque non autem modi productum, quippe modus secretionis lymphæ talis est, quando nimirum sanguis per arterias multas magnasque à Cœliacæ ramo ortas ad lienem pulsando mittitur, tunc non prius quam in extremitatibus arteriarum lymphæ crystallina secernitur atque ab osculis vasorum lymphæ dicatorum excipitur, reliquus sanguis ad perreptandos hos minutissimos poros planè ineptus congregatur in sinuoso jam superius

nomi-

nominato lienis loco, ut ex illo ad separandam bilem à vti-
 bus fecundior redditus per venam splenicam portæq; trun-
 cum ad suum separandi instrumentum, quod hepar consti-
 tuit, pervenire queat. Et hæc fuit lymphæ in liene secretio,
 quæ planè non differt ratione modi, nam modus hic cum bi-
 lis coincidit, uti demonstratum, nam bilis separatur colato-
 rio modo, lymphæ lienis non secus, & quid impediret quo mi-
 nus splen bilem separet, si modo talem, qualem hepar possi-
 deret structuram nec dissimilem & ad bilis secretionem præ-
 paratum acciperet sanguinem, profectò ob necessitatem me-
 chanicam absque ulla alia facultate hoc præstaret. Idem ju-
 dicium esto quoq; de cæteris glandulosis partibus.

Thef. II X.

Sed omnem secretionem, quàm diu ritè succedit, non alia inde quàm perfectè sana sequi potest corporis con-
 stitutio, quippe donec in ventriculo atque intestinis lymphæ
 purissima nullisque particulis heterogeneis imprægnata se-
 cernitur, donec chylicatio quoque illæsa manebit, nec cru-
 ditates ventriculum, nec colica aliaque tormina propter in-
 testina, turbando incommodabunt corpus humanum, non
 minus quoque immunes erimus à contumacissimo ac intole-
 rabili malo hypochondriaco, omnium febrium causæ radica-
 les præcaventur, tandem si cæterorum humorum justa &
 genuina procedit separatio, omnium quoque morborum
 causæ simul per hanc impediuntur altiores figere radices.
 Contrarium autem à secretionis læsione oritur, ab hac enim
 jam denominatâ satis molesta ac sæpè periculosissima mala o-
 riri non solum possunt, verum in specie etiam Hydrops suos
 inde ducere potest natales.

Thef. IX.

Ea enim vi denominationis nihil aliud est, quàm cache-
 xia totius corporis aquosa, serosa aut pituitosa cum tumore
 abdominis aliarumque partium, aut etiam totius corporis ab
 extravasatione & stagnatione feri nonnunquam flatulenti
 oriunda.

Thef. X.

Dignoscere hunc affectum facile licebit, maximè si at-

tendantur omnia requisita conjunctim data. Sic in Hydrope exquisito atque perfecto præter corporis intumescen-
tiam pallor in ore sedet, quandoque flavo livido & lurido tin-
gitur colore, corporis artus langvor occupat, cerebrum
somnia infestat, ipseque æger urinam aquosam rejice-
re incipit.

Thef. XI.

Accidit quoque haud rarò, quòd præter coloris faciei
pravam mutationem, vultus ipse interdum fiat tumidus atque
tota corporis compages mirè turgida, maculisque diversæ
formæ fuscique coloris adpersa videatur, uti id suo exemplo
satis demonstrat conjux cujusdam Theologi, cujus ap. *BO-
NET. in Medicin. Septentr. Lib. 3. Sect. XXIII. cap. 28. fol. 720.*
mentio fit: Adest quandoquidem universi & crurum præ-
cipuè gravitas atque lassitudo: Prostermitur appetitus, acce-
dit sæpè tussis, urinæ vel redduntur tenues & aquosæ, vel tur-
bidæ & crassæ. Malum quando sui accipit incrementum,
ægrum vix tolerabili vexat dyspnœa, quæ major & intolera-
bilior redditur, quoties corpus imprimis vehementiori agi-
tatur motu. Sentitur tensio quædam in ventre, præcipuè in
partibus pedum membranosis, imò in ipsis quandoque furis
(quæ e quid accidisse quoque oxydropotis meminit *PRÆSES
GRAVISSIMUS*, Swalbacii ac ad Petrum S. Antonii vulgo Tön-
gestein, à magna acidularum copia epota) hæque non minus
quam tibiæ tumere incipiunt: Plantæ quoque pedum vel nimio
irrigantur madore, vel diro prurituum afficiuntur dolore.
Sed hæc indicia earum specierum, quæ à principio tantum
humido dependenti ingratum meticulosumque indicant ac-
cessum, illa autem quæ sicca perhibetur, attamen nunquam
ferè sicca solum existit, ut plurimum ad malum hypochon-
driacum ac alium statum flatulentum præsupponit disposi-
tionem atque inclinationem.

Thef. XII.

Sed his præmissis ac observatis pergimus ad subjecti for-
malis formalem veramque explicationem. Signa quæ com-
munium sibi arrogat nomen, minimè, dubios nos de affe-
ctibus

Etibus omnium ferè corporis partium ex quibus colligebantur, reliquerunt; Quippe hæc vultum non solum ab hoc malo malè affici, sed & ipsum Thoracem cum suis internis uti & abdomen cum suis contentisimò ipsos pedes ab ejus invasione minimè immunes indicârunt. Quoniam igitur omnes corporis partes, quæ cavitatibus gaudent ab hoc malo occupantur, non absurda nobis videtur sententia, si omnes quas in corpore reperire licet cavitates, pro subjecto formalitatuamus. Hæc cavitates autem ita dispositæ sint oportet, ut sui ampliationem adhuc majorem pati possint. Sic in ossibus quoque demonstrantur cavitates sæpè insignes, quæ tamen distensionem propter latera nimis compacta non sunt obnoxia.

Thef. XIII.

At verò hic morbus quoniam neque tantum atque semper ficcus, neque tantum atque semper universalis apprehenditur, sed aliquando ficcam, aliquando humidam habet naturam & nunc partialem, nunc totalem se præbet, procul dubio in tali quoque corporis nostri parte radices agat oportet, ut hæc mediante frondes suas valdè molestas ad quemcunque microcosmi locum mittere ibidemque expansionem exercere aptus sit. Sed ad hoc munus exequendum nunquam inveniet meliorem capacioremque quam massam nostram sanguineam, hæc enim non solum omnium corporis organorum est conservator, sed etiam quando morborum insidiis victas dat manus, omnis salutis nostræ est Corruptor. Pro vero itaque atque radicali proximo uti omnium ita & hujus affectûs nostra massa sanguinea statuitur. Remotius autem esse possunt omnia viscera tam chylicationi, quam sanguificationi inservientia, sed non semper, sæpius enim partes minùs glandulosæ sed vasis tantum lymphaticis donatæ subjectum remotius possunt efformare.

Thef. XIV.

Sanguis igitur ubicunque etiam transit quando nimia & quidem aquosa obrutus est cachexia, non potest non sua vel viscerum tonum perdendi qualitate vel obstruendi fa-

cultate, vel vasa propter acredinem rumpendi vi, eadem destruere atque ad hydropici mali verum subiectum constituendum disponere. Non unum autem semper neque idem nostra massa sanguinea afficit viscus, neque tantum viscera, sed omnes corporis partes, quæ lymphaticis fruuntur vasis subiecti locum implere aptæ natæ sunt. Hinc absurdi sanè sunt illi, qui unicum viscus hepaticum pro hydrophis subiecto tantum agnoscunt, cum tamen tot exempla per inæstimabilem Medicoque maximè necessariam Anatomiam detecta in contrarium prostent. *Conf. NICOL. FONTAN. Exempl. 34. Sylvii LANCEANI, Monti-cæliani tr. de Hydrope, quod non semper fiat ab hepate. Romæ 1603. in 8. SCHENCK. l. 3. obs. JOH. RHOD. Cent. 3. obs. 4. ROLFINC. in Epit. l. 3. c. 9. THOM. BARTHOL. Cent. 1. hist. 2. ac præcipuè HÖFERUM in Herc. Med. l. 3. c. 2. p. 143.* Sic salvis plerisque visceribus sola vasa lymphatica rupta, teste *DIEMERBROCK. Anat. l. 1. c. 12. p. m. 66.* hydropem excitarunt, in aliis verò salva fuere reperta, aut *LOWER. tr. de Cord. cap. 2. p. 125.* imò in quibusdam ægris ulcera Mesenterii ὕδρωρον accelerarunt, in aliis verò glandulæ hujus luxuriantes & protuberantes absque ulcere, hydropem non tam verum, quam tumorem, pro hydrope quidem ante sectionem Cadaveris habitum, produxerunt, uti dignò notatu exemplò confirmat *TULPIUS lib. 2. cap. 32. p. 147.* Ex quibus non obscure patet, subiecti limites in hydrope valdè quandoque sese extendere adeoque modò huic modò illi parti seu visceri culpam adscribendam esse. Confer. *Cl. JOH. de MURALTO Miscell. curios. Decur. 2. ann. 2. obs. 95. in scholio, ubi exemplum hydrophis lectu dignum, in quo omnis ∇ in dextra uteri tuba continebatur & Hydatides in Hepate repertæ commemorantur. De Hydrope è vesiculis legatur Zac. LUSAT. l. 2. Med. princip. hist. nò. 5 JOH. SCHENCK l. 3. obs. ac præcipuè ex professo de hac re egit doctissimè JOH. JACOB. MARTINI in dissert. Inaug. PARACELSI de hac re sententia est planè ridicula Conf. GVIL. FABRIT. Hild. Cent. 2. obs. 56. atq; ab HELMONTIO in Tract. de trib. prim. chim. princip. §. 14. p. m. 400. sufficienter refutata, somniisque puerilibus comparata. Sed & ipse HELMONTIUS tr. Ignotus Hydrops. §. 20. p. m. 514. postquam prolixè satis disputavit contra scholas, ut salvaret je-*

cur à peccato lethali, tandem n. 10. omnem hydropem à solo renum archæo, fermento ex causa occasionali intra se concepto, & quidem à venenata quadam qualitate anodyna, quæ archæum renum officii sui immemorem reddidit ortum ducere pluribus rationibus evincere conatur. Verùm hæ rationes ipsam experientiam superare minimè valent. Sic *BONET* l. c. cap. 20. de Matrona quadam Hydropica ex *HELVIGIO* testatur, quod aperto ejus post obitum ventre inferiore, lien fuerit parvus, hepar quodammodo pallidum, incisò peritonæo in hypogastrii spatio, ubi tumor acuminatus visus est inter peritonæi tunicam duplicatam, ferofi humoris subflavi fœtidi mensuris aliquot sublatis, vesicam urinariam, & uterum in locis à natura destinatis & naturali forma & magnitudine incorruptos esse inventos. Idem quoque de alia in cap. 18. p. 710. ex *CHRISTOPHORO HARDERO* cujus ovarium dextrum adeo aquâ repletum fuit, ut tuba *Fallopîi* & vespertilionum ala non recto sed intorto ductu apparuerint, memorat: plura exempla vid. ap. citt. autt. Sic stupendum exemplum hydropis in ovario sinistro feminæ ad 150. lb, aquæ continentis dissecuit oculatissimus atque celeberrimus Anatomicus Dn⁹ *FRANCUS* de *FRANKENAU* ante octo annos Heidelbergæ præsentate Excell. *WEPFERO* aliisque Medicis, ipsumque ovarium exhaustâ aquâ pendebat lb. VI. mercatorias. Et quæ de renum fermento dicit *HELMONTIUS*, illa quoque non minus quàm svavia sunt somnia atque figmenta, neque archæus in nostro reperitur corpore, quippe & incerti & planè non existentis fermenti, uti & gubernatoris distributorisque Archæi munia, jam, non uti falsò etiam quidam opinati sunt calidum partibus corporis nostri quibuscunque insitum, sed solus corporis mechanismus atque certa structura & dispositio subit.

Thef. XV.

Postquam itaque fallere & falli illos, qui pro hydropis subjecto unicum tantum viscus, qualecunque etiam sit, statuunt, demonstravimus satis; Opus quoque nihil minùs erit causas hoc malum efficientes in scenam producere. Pro-

ximam igitur omnis hydropis causam dependere dicimus à vitio sangvificationis, chylicationis, sangvinis & chyli depurationis v. g. à lymphæ gastricæ totali extinctione, ablutione, obstructione glandularum meseraicarum, hepatis, lienis, renum, uteri &c. humorum viscositate, falsedine atq; acredine, hincque oriundis vasorum vel rupturis vel erosionibus atque inde sequente humorum in habitum corporis vel cavitates effusione. Effunduntur autem vel ex arteriolarum osculis immediatè, vel è vasculis lymphaticis aut per diæresin aut anastomosin apertis. Interdum quoq; vasa lactea vel ductus thoracicus ruptus idem malum producere præstat.

Thef. XVI.

Has autem remotiores non parum promovere solent. Multum quippe hic ponderis obtinet temperamentum frigidum & humidum, crescente enim ob sangvinis activitatis pauperiem, frigore, largissimi sæpe ∇ arum rivuli in Hydropicis dimanant, prout id demonstravit *BARTHOL. Tract. de vas. lymphat. in hom. c. 4. §. 5. & 6. p. 167. & in Spicil. 2. de vas. lymph. c. 5. p. 492. seq.* Majori adhuc facilitate morbus hic se insinuare poterit, si eidem temperamento hereditaria adhuc accedit inclinatio, sicut *SEVERIN. de recond. Abscess. Natur. cap. 36. p. 266.* exemplo notatu digno confirmat; Vid. etiam *PLATERUS l. 3. obs. p. 656. seq.* Tandem uterque sexus uti & omnis ætas hujus se jugo submittere debet, nam utrobique crescit indulgens sibi dirus hydrops ut canit *HORAT. l. 2. od. 2. v. 13.* quem Horatii locum in omnibus versatissimus ac hujus dissert. *PRÆSES MAGNIFICUS in Agonismatibus Physico Medicis n. VI. §. 4.* Heidelberg. 1682. affabrè illustravit. Interim qui obesi sunt corporis atque qui temperamentum sic dictum phlegmaticum possident, cum senescunt vel alia de causa calor in illis naturalis obtunditur, ac superfluis regendis impar redditur, plerumque hydrope corripuntur, notante *BINNINGERO Cent. 4. obs. 13. p. 388.* Sed ingens & frequens quoque alimenta vel in fuga ingesta, vel malè contrita, & non benè digesta, vel per se malè existentia conferunt symbolum,

lum, præcipuè verò fructus horarii, utpote Melones, Cucumeres aliique. Non minùs quoq; hanc cladem sibi contrahunt strenui potatores, qui dum manè haustu spir. vin. contractam sitim ut extingvant, postea in noctem concubiam pocula non Hilaritatis sed potius Ebrietatis vinò & cerevisiâ coronare consueverunt. Est itaque cibus & potus copiosior corruptionis causa, docente *HIPP. lib. 1. de morbis Mulierum.* Aër quoque atque simul somnus & vigiliæ, nec non motus & quies, uti ad alios, ita & ad hunc, non parum contribuere possunt, affectum. Excernenda & retinenda rectè nisi se habeant, hydropem accelerare possunt. Sic *HIPP. in 6. Epid. sect. 4. §. 9. εἰς αἰμορροαγιάων ἐξυδερῶνται.* De nimio hæmorrhoidum fluxu idem testatur *GALENUS L. 2. de facult. natural. c. 8. f. m. 43.* & de harum suppressione *RHOD. cent. 3. obs. 5.* De utroque sæpè sed nunquam satis laudatus Dominus *PRÆSES disput. de Hemorrhoidibus p. m. 4. Heidelberg. 1672.* Menstruis abundantibus quoque morbos evenire pronunciat *COUS 5. apb. 57.* ubi in *commentar.* morbos totius corporis intelligunt, ad quos *VALLES in Comm.* Hydropem meritò refert. Animi pathemata etiam aliquid contribuere non contrariatur rationi.

Thef. XVII.

Verùm hæ hæctenus recensitæ causæ non unam semper hydropis producunt speciem: Sed aliquando intumescentiæ atque extuberantiæ universalis, quæ vel à sero tenui ∇ eo vel Θ so trahit originem, & tunc *Anasarca* vel *Hyposarca* nomine indigitatur, vel similis intumescentiæ, quæ à pituita gelatinam imitante pressionisque vestigium ad tempus relinquente producitur, atque *Leucophlegmatia* appellatur, existunt autores. Sic terribile illius exemplum videri pot. in *act. Medic. Hassn. à Thom. BARTHOL. observ.* simile quoque ap. *BONET. in Medic. septentr. p. 371.* licet reperire. Nonnunquam verò abdomen vehementer prominens turgensque producunt, ita ut ægri de latere in latus circumvolutionem fluctuantis ∇ æ sonus sequatur. Sentitur quoque scroti pedumque tumor, adest difficilis respiratio, tussis, tabescentia

partium superiorum, urget communiter sitis nimia, Quæ redditur pauca & rubra, alvus verò deprehenditur sicca &c. & hæc species dicitur *Ascites*. Exempla ap. Pract. vid. poss. innumera. Rarum autem atque fidem fere superans *TULP. obs. med. lib. 4. c. 43.* literis consignavit. Rarius adhuc, notatuque dignius *Antonius de POZZI* de Vestali virgine posteritati reliquit. Fuisse scil. virginem vestalem annorum 33. plethoricam, quæ cessantibus menstruis dolorem in ingvine dextro cœpit sentire, à quo tandem abdomen in ingentem tumorem elevatum spretis omnibus methodicis remediis succubuit. Apertò Cadavere inter musculos abdominis & inter peritonæum inventæ sunt sanguinis nigerrimi libræ octoginta: Inter peritonæum verò & intestina quadraginta ∇ æ limpidissimæ. Tuba uteri in latere sinistro elevata in ingentem tumorem continuit lib. viscerum humoris cum seminis albicantis magna quantitate. Testis, vel rectius ovarium illius lateris fuit parvum, alterius lateris majus. Diaphragma adeò compressum ab ∇ a & sanguine ut vix non ad jugulum pertigerit: Pulmones nigricantes fuere & compressi. Sed non rarò in Vesiculis hærens hydatidesque diversæ magnitudinis ac sæpè satis numerosas efficiens ab hac, ratione sensus gravitatis, & quod citra fluctuationem adsit, diversam efficit speciem. Consul. de his *SCHENCK. libr. 3. obs. PLATER. in observ. PISO*, aliique. Interdum præter abdomen neque pedes neque scrotum in sua mole augmentur, sed potiùs sui patiuntur decrementum atque tabescunt & hæc hydropis species vocatur sicca sive Tympanites, nec differt ab Ascite nisi quòd in illa facies non ita à naturali recedat habitu atque major turgescencia sed minor gravitas ob ∇ æ penuriam sentiatur, accedit quòd à percussione abdominis sonitus, murmura ructusque percipiuntur. Communiter tamen conjunguntur ac altera alteram comitatur vel una alteram immediatè sequitur. Id quod suâ, quam nobis reliquit *HELVIGIUS* confirmat observatione. Anno Christi 1647. inquit Concubina Præfecti cujusdam Legionis equitum Cæsarianorum, temperamenti calidi & humidi, liberali facie

facie & annis floridis per annos aliquot tumore ventris hydropico, seu tympanite laborans, curatela duorum Medicorum Norinbergæ ab Amasio commissa. Verum cum omnium ferè labor & industria in cassum abiret, siquidem illa sui semper arbitrii neglectis diæteticis vivebat, ecce aliquando cerasa recentia & cruda uberiùs & avidè nimis devoranti, circa umbilicum venter spontè divellitur, effluente serosi humoris insigni copiâ, sicque hydropicus tumor lentè ipsi detumuit, atqve ulteriori Medicorum industriâ pristinæ sanitati mulier restituta fuit. Mulier erat eximiæ venustatis & quæ morbum lethiferum vix effugerat, paucis post mensibus ob necem olim Marito ex toxico intentatam, vindicem Deum sub carnificis ictu non effugit. Plur. vid. in *HILDAN.* ut & *MISCELL. CURIOS. MED. ann. 2. obs. 86. p. 150. &c.* Sed his prioribus aliæ quoque annumerandæ veniunt. Collecta enim similis ∇ a in capite *Hydrocephalon*, in thorace, *hydropem pectoris*, in pericardio *hydrocardian*, in scroto *hydrocelen* constituit &c. Nonnunquam autem hydropis signa in gravidis, quoque reperiuntur, ubi cautè agendum Medico ne medicamina ferum educentia exhibendô abortum promoveat.

Thef. XIX.

His ita se habentibus riteqve observatis non adeò difficile prædictionis erit iudicium. Sic quando viscerum scirrhus aliaqve eorum læsio aut corruptio hydropem comitantur omnem planè respuit medelam: *DOLÆUS* tympaniten omnium periculofissimum censet, id quod de exquisito tantum intelligendum, quippe huic facile accedunt inflammationes umbilici, vel alius ventris muscoli, & tunc ob jam frequentem, quam cachexia sanguinis maximè adjuvat, gangranam, est lethalis, vid. *DOLÆUS in Praxi.* Non minus quoque hydropi superveniens febris ob nimiam sanguinis aliàs cacochymici turbam viriumque solutionem ægrum certissimè jugulat. Ultimæ sanguinis fluiditatem adhuc conservantes particulae in intestinis quando separantur atqve viribus ægri jam dejectis alvum valdè fluidam reddunt perimi-

tur citissimè sentiens atqve loquens. Nonnunquam omne ferè serum ad hydropicum malum augendum sangvinisque texturam perdendum consumitur, undè ☐na parcior & turbatior cum ingenti siti, potus desiderio, maximum portendit periculum. Omnis autem hydrops ob contumaciam, quæ sangvini corrupto debetur, curatu difficilis est, difficilior autem tympanites perfectò statuitur, omnium difficillimum Ascitem præcipuè in senibus & valetudinariis ipsa ratio atq; experientia pronunciant. Si regionem abdominis gravans ☐a suos ad superiora quoque extendit rivulos atqve diaphragma sive pulmones sive cavitatem Thoracis afficiendo hydropicorum tussim parit, malum, not. *HIPP. 6. aph. 35.* Ulcerum Hydropicorum curationem perpetuus ferè aggressus atqve madefactio reddunt difficilem. *ID. 6. aph. 8.* Ascites ab hydatidibus copiosis & grandibus difficilior curatur neque in tot vesiculis collectus humor sui per paracentesin admittit evacuationem. Ob sangvinem tamen nimis vigentem & tibusque abundantem, cachexia sangvinis, tanquam genuina ac vera omnis hydropis genetrix, facilius, maximè ab initio, in junioribus, quam senibus curatur.

Thef. XIX.

Tutiùs autem laborant hi, quibus magni modo fiunt tumores, modo rursus occulantur. Verùm decipit ea sæpè res ægrotos, penitusque facit, ut curationes negligant Medicorum, ac pereant fiducia secundæ valitudinis falsi. Securior censetur hydrops, qui lienis, quam is, qui jecinoris secutus est tumorem. Minus quoque periclitantur, quorum naturæ & ætati conformis est hic morbus: Omnium securissimus statuitur, qui à nullo planè dependet morbo & ubi viscerum tonus deprehenditur illæsus, si respirationis opus rite absolvitur, si molesta tussis, intolerabilis sitis, linguæque ariditas non adsunt, imprimis somni tempore, quo incidere illa maximè observamus; si sex rerum non naturalium neque excessus, neque defectus sentitur; si remediorum concedit applicationem, atqve eorum usu movetur æger, deniq; si expers & doloris & caloris & lassitudinis est ac morbum facile sustinere valet.

Thef.

In tempore itaqve atqve summo cum studio patientis sanitas promovenda venit, quæ ut citius, tutius atqve jucundius succedat, omnis in id collocanda est opera, ut si alius, qui hydropem produxit, adsit morbus, citò ille curetur, quò tutò hydropis curam inchoare atqve jucundè absolvere queamus. Hæc autem causæ continentis, humorum scilicet crudorum, ∇ lorum, pituitosorum atqve flatulentorum exterminatione, sanguinisque uti & omnium viscerum confortatione, atqve corroboratione, deinde novorum confluxuum impeditio, quæ causarum antecedentium, cachexiæ nimirum, atqve vasorum dilacerationis remotione fieri potest, optimè instituitur. Cùm verò continua ut plurimum in hoc affectu causarum series occurrat, atqve una sæpius ab altera dependeat, ea præcipuè primò est amovenda, quæ ortu prima, vel summè periculosa, ab hac deinde optimò ordine ad cæteras quoque datur progressus.

Thef. XXI.

Convenientem autem Præfidiorum remediorumque materiam triplici ex artis medicæ promptuario desumere licet. Sed quia nulla morbi præcipuè cachectici cura, nullis planè diætæ legibus observatis, ritè perpetratur neque Medicus, absq; hujus primum commendatione, feliciter operatur, ideoque non sic, ut aliis solitum, Chirurgiæ primum, deinde Pharmaciæ, tandem Diætæ remedia præscribere cogitamus, sed inversò, & ut nos quidem existimamus, haud inconvenienti ordine, primum de *Dieta* noster erit sermo. Et quamvis *PARACELSUS* in *Tract. de Hydropis.* præscriptionem diætæ in hydropis cura, Arti & Medico ignominiosam & supervacaneam esse dicat, cùm in Arcanis versetur, tamen ratio & experientia illam apertè confutant. Si quidem solâ sæpe abstinentiâ, sitisque tolerantia Hydropem esse perfectè sublatum constat, vid. *SCHENCK. lib. 3. obs. CAMER. Memorabil. Syllog. cent. 8. §. 55. & 56.* atqve hic quoque ille versus valet: *Abstine, & efficies, quod Medicina nequit.* Conf. omninò *PANAROL. Pentec. IV. obs. 38. BENIVEN. cap. 13. SCHENCK. l. 3. obs. med.*

Hinc post Δ em calidum atque ficcum victus eligatur boni succi atque facilis solutionis & condiatur diureticis atque exsiccantibus, e. g. petrosel. asparago, sem 4. calid. &c. carnes assæ potius quam elixæ conveniunt, jusculorum præcipuè ∇ forum usus sit admodum parcus, potus abstinentia non parum ad sanitatem contribuit. Vini optimi tenuis ac generosi potus conceditur largior: Sic vino absynthite Ascitem curatum memorat *RHOD. cent. 3. obs. 13. p. 136.* Corpus laboribus exercere sudoremque promovere cunctis ferè prodest. Tabaci fumus per fistulam haustus multum profuit isti Hydropico, de quo *BARTHOLINUS Cent. 6. Hist. 17.* laudatque istius succum *MAGNENUS Exerc. 14. de Tabac.* sed non nisi ætati Juvenili & forti commendandum. Coronidis loco sit quod Comicus in omni vita: *Ut ne quid nimis!* atque hæc de Diætâ.

Thef. XXII.

Majus nobis ampla satis Pharmacia spondet auxilium, hæc enim maximum & variorum & utilium remediorum suppeditat campum, Primum itaque quid purgantia hoc in affectu præstare possint, & num toleranda quoque sint & an primæ satisfacere possint indicationi, videbimus. Hic deliberandum est diu, quod statuendum semel. Neque solum id expendendum, an purgatio indicetur, verum ad omnes quoque circumstantias circumspiciendum est, an fortè aliquid reperiatur, quod impedimento esse possit, quo minus Medici votum expleatur, aut ipsum pharmacum tutò operetur: Tutam autem pharmacorum hoc in casu operationem esse, neque impetuosa atque destructiva ferè agendi modus neque sanguis multis heterogeneis scatens particulis indicat. Hinc purgantia in Hydrope sæpius nocere, quam prodesse eruditè monet Summus Vir, Dn. Doct. *VOLCKAMER. in Schol. obs. 18.* Omnium igitur purgantium, quæ fortium nomine comprehenduntur, ob sanguinis, quam causant, turbam, & quæ in Hydropicis summè periculosa, rejicimus usum, nisi saltem quando morbus absque Viscerum labe non inveteratus existit, & tunc etiam mediocrium
usus

usus est tutissimus, pro circumstantiarum autem varietate Medicus, nunc mitia, nunc mediocria, rarissimè; vel planè non, fortia propinabit. Ex hydragogis, quæ absq; ratione ita dicuntur commendanda veniunt sirupus de spina infectoria, radix Gialappæ, Electuarium hydragogum Sylvii, pulvis solutivus ꝑ̄satus Zwölfferi, ꝑ̄ gottæ, hermodactyli, Sirupus de spina infectoria cum infuso ꝑ̄iato à Cl. SYDENDAM maximè deprædicatur. His addi possunt malè sic dicta phlegmagoga scil. agaricum, mechoacanna, ꝑ̄ ammoniacum, turbith, semen carthami Extractum diacarthami, trochisci alhandal aliaque utpote Arcan. antihydropicum *HARTM.* pilul. hydrop. *BONTII* &c. Sed his omnibus præferendus est ꝑ̄ius dulcis, tanquam omnium anima, hic enim in omnibus affectibus ubi apertione opus est, præsentissimum est remedium, hinc pilulas suas de ꝑ̄ ammon. cum ꝑ̄io dulci non immerito magni æstimant Cartesiani, quippe ratione ꝑ̄ii incidunt non solum sed omnes ob globulorum etiam minimam figuram poros transeundo obstructions leniter aperiunt & ratione ꝑ̄ amm. vulnuscula consolidant: non incommodè etiam purgantia ꝑ̄ ꝑ̄i maritata præscribuntur purgantia ꝑ̄io diaphoretico unita multi atq; insignis sunt usus, sed in his omnibus modus est tenendus, atque prout necessitas requirit atque Medico placet, variæ ex supra notatis fieri possunt compositiones. Verùm clysteres quoque ventrem exonerare non parum solent, hinc eorum usus hoc in affectu videtur proficuus: Convenientissimum autem enemata □næ sani hominis cum certa vel anisi sæniculi vel aliorum carminativorum atque hydragogorum nec non sacchari comm. quantitate constituet. Egregium quoque habet *DECKERS. Comment. in Barbett. p. 168.* Conf. etiam Felicissimum *ETMÛLL. de Hydrope.*

Thes. XXIII.

Emetica & suspecta & noxia habentur, nam licet ventriculum atque intestina aliquatenus ab humorum visciditate atqve inquinata serositate indeque orta cacochylia liberare possunt, maximum tamen, minimum removendo, affe-

runt damnum. Etenim spasmodici ventriculi intestino-
rum vasorumque appensorum motus, non solum dyspnœam,
quæ præcipuè Asciticos angit, efficiunt molestiorem atque
majorem; sed & apertiones dilacerationesque tenuium ad-
modum vasorum lymphaticorum maximè promovent, unde
necessario affluxus serosi humoris augetur, quoniam itaque
non tantum non juvant sed potius nocent atque obsunt, id-
eoque hac conditione hic eorum planè rejicimus usum, atq;
eorum loco ad meliora, certiora ac conventiora nos verti-
mus remedia nim. ad sudorifera.

Thef. XXIV.

Hæc omne fere in hoc morbo ferunt punctum, quippe
si aliquâ ratione certè horum propinatione atque usu, aqua-
rum ex corporis partibus eliminatur colluvies, his enim me-
diantibus & materia hydropicorum tumorem augens & ipse
tumor sensim imminuitur, nam sudoriferorum vis tam in
sanguinis motûs promotione, quàm in insensibilis transpira-
tionis consistit auctione; & inde humorum sequente immi-
nutione. Quoniam ergo vix feliciora & efficaciora hunc
morbum removementia habentur medicamina, ideoque inju-
rios in omnes molestissimo huic hydropico affectui obno-
xios essemus, si eadem illis non manifestaremus. Sed se-
dulò est attendendum an hec tica & atrophica quoque subsit,
tunc enim plus damni quam utilitatis afferunt. In diapho-
reticorum itaque atque sudoriferorum censu sunt. Rad.
Chin. Scorzon. sars. parill. cort. & lign. sanct. sassafr. Sem.
Card. Bened. citr. nap. lap. Bezoar. or. & occid. CC. phil. lap.
69, unic. foss. ac verum ꝛ ꝛ ꝛ i & nativa, flor. ♀ ⊖ *ci pp.
Bez. ♂ diaph. Magist. CC. viperar. ♀ ⊙at. ♂ ii, ⊖ Card. be-
ned. absynth. Centaur. min. CC. vol. arcan. dupl. Bezoard.
miner. ♂ le ♀. Ebor, CC. Theriac. camph. tinct. Bez. Theriac.
ANDR. & cœlestis. Opiata ob vires maximè narcoticas atq;
humores incrassandi naturam cane & angve pejus sunt fu-
gienda. ꝛ ialia autem cæteris omnibus palmam longè præri-
piunt. Sic HELMONTIUS ꝛ iô suô præcipitatô diaphoreti-
cô ultra bis mille hypropicos sese curasse gloriatur, ejus vi-
res

res *SILVIUS* quoque in *Tract. de Hydrope* extollit; Ingentem lunare quoque atque ☉are Bezoardicum in pellendis sudoribus possident vim. Sed variæ etiam atque efficaces satis ex jam notatis atque præscriptis pro cujuslibet voluntate oriri atque præscribi possunt compositionum formulæ. Haud quoque peccabit qui sudoriferis carminativa immiscet, hoc stratagemate enim tympaniten multò faciliùs ac citiùs superabit. Sed præter interna, dantur & externa huicque proposito omninò convenientia, qualia sunt balnea, tam naturalia quàm artificialia. Sæpissimè autem contingit ut hic morbus alia adhuc præter jam dicta poscat remedia. Quare ista quoque in scenam producere obligamur.

Thef. XXV.

Proximè itaque hæc *diuretica* quæ tantùm gradu à sudoriferis differunt, excipiunt, atque præ cæteris inter illa ☉ia vegetabilium fixa, maximè cum vino usurpata, observantur efficacissima, quippe tali modo cum acido vini volatili in saponarium semi vol. falsum saporem abeunt. Non infimæ quoque virtutis sunt lixivium ex cinerum genere petita. *DO-LÆUS* postquam ☐ nam in Hydropico minus lixiviosam & rubicundam notavit, lixivium ex cineribus stipit. fabar. vitis Junip. absynth. lumbric. cum vino paratum singulis horis matutinis, & quarta Pomeridiana, ad ℥v. usque vi. assumendum præcipit, laudibusque evehit, multaque alia quæ in ejus praxi videri possunt, magni admodum facit. *HART-MANNUS* tanquam remedium egregium ☐ pueri commendat. *SILVIUS* in *Praxi sua* diuretica quæ aromatica & ☉e vol. prædita sunt, rariùs autem quæ sunt acida: subinde ex utrisque mista in usum vocare docet. *MYNSICHT* tantam lixiviis suis tribuit efficaciam, ut benedictò & diureticò solò multos se hydrogicos sanasse scribit. Sem. dauc. fraxin. arcan. dupl. ☉ ononid. genist. Junip. succin. vol. succ. alb. præp. Magist. lap. 69. ♀ ☉ lat. ♀♀ sat. arcan. ♀i. tinct. ♀ f. & c. aperit: ♂ ii, filic. Glauber. ~ aper. Penot. fragor. ♀i, ☉*ci, Clyff. ♂ ii aliaque plurima Medicinæ cultoribus satis erunt perspecta ideoque nihil quam quòd in propinationibus at-
que

que compositionibus selectus sit habendus monendum putamus, ne cum nimis fortibus sanguinem adeò fundamus ut ejus texturam tandem funditus perdamus. Verùm prudens ad cuncta attendens Medicus rationeque potiùs quam falsâ sæpè experientiâ utens hic nunquam peccabit. His recensitis dilabimur ad salivantia, horum non exiguum auguramur usum, & quoniam spontaneæ sæpè salivationes nos à morbis chronicis à pituita ut plurimum dependentibus liberant, uti non semel observavit *SYLVIVS*; Quidni artificiales eundem ederent effectum? Nec videmus rationem quare illorum usum non pauci suspectum perhibent, cum tota die maximam in hisce casibus ostendunt utilitatem, per salivationem enim maxima semper aquæ quantitas absque magna rejicitur molestia, & rarò illam pejor corporis sequitur constitutio, si modò quod bene notandum ab aëris frigidi accessione sibi cavent. Salivatio à §io crudo vel variis modis præparato excitari potest, sic nonnunquam crudus oleis aut unguentis innutritur, atque tunc partes variæ, volæ manuum & plantæ pedum, quin omnes articulationes & spina dorsi iisdem illinuntur & post tres quatuorve dies ut plurimum salivatio sequitur. Plures exhibere modos brevitatis studium non permittit, unum adhuc & tutissimum & optimum tradere placet, quando scil. §ium crudum recipimus illumque in Cinnabarim Δ tum cum Δ e, Myrrhæ aliisque addimus in ppem redigimus atque prunis injiciendo fumum excitamus, qui per infundibulum hiante ore exceptus, sensim salivationem movet, & hâc ratione in Medici potestate est salivationem pro lubitu regere ac moderari, quod non æque fieri potest ab assumpto vel inuncto §io. Quin imò à prudente Medico ita potest excitari §ii fumô salivatio, ut à nemine facilè possit observari, nisi à rei peritissimis, sed diligenter illô tempore ægri oris interna facies consideranda venit, ut urgente necessitate gargarismis succurrere queam9 patienti. Leg. de his *SYLV. in prax. Tract. de Hydrope.*

Thef. XXVI.

Atque hæc hæctenus recensita remedia in tempore dextre;

treque adhibita pro voto suas in evacuandis ∇ is edent operationes. Quoniam autem eâ ratione primæ tantum satisfacimus indicationi, ideoque alteri etiam ut auxilio simus nobis incumbit. Maximè verò huic scopo inserviunt Alterantia nec non Viscera Corroborantia, sed quia corroboratio viscerum tantum in eorum deobstructione consistit, hinc aperientium usus simul est convenientissimus. Nulla autem neque Alterantia, neque sic dicta aperientia magis hic sunt proficua quam quæ Θ e suo penetrantissimo ac valdè volatili & sanguinem transire, & poros tam viscerum quam aliarum partium aperire apta nata sunt, non minus quoque suam α lia merentur laudem, quippe & horum natura obstructionibus semper est contraria. Ex magno itaque alterantium catalogo hæc pauca scil. crystalli ¶ i, flores Θ *ci. ¶ us Θ latus. Pulv. cachecticus Quercetani. Spec. diarrhod. \sim aper. Penot. Θ l. α , Croci α aperitivi, Tinct. α Zwölfferi, ¶ ii, ¶ i, Elixir. propr. α le, antiscorbuticum, Mixtura simplex &c. minoris & simplicis quanquam non contemnendæ virtutis, Centaurium minus, absynthium, cichoreum fumaria, cochlearia, salvia, chamædris, chamaepytis, capillus Veneris, atque Card. benedictus notentur, legitimeque usurpentur, variæ ex his fieri possunt & solent compositiones, cæteris missis pro potu medicato quasdam præscribere non inutile iudicamus. $\&$ Rasur. Sassafr. Rad. Helen. Caryophyllat. Chin. polypod. Herb. Card. bened. Centaur. min. Absynth. Cort. citr. Aurant. Fiat juxta ingredientium vires certa quantitas, quæ manipulatim in Cerevisia consumetur. In vino proderit Rad. Apii Helen. Jr. n. Rasur. lign. Sassafr. Cort. ejusdem, ut & Tamarisc. flaved. citr. arant. Bacc. Junip. summit. Cent. minor. fumar. fem. 4. calid. maj. Crystall. ¶ quibus addi potest limatura α . Atque hæc quidem non parvum spondent auxilium, interim adhuc alia parvæ quidem molis sed ingentis virtutis sese produnt remedia, sic potus *Coffee* & maxime *Thee* ob sanguinis purificandi, omnes poros penetrandi ac aperiendi & tali modo viscera corroborandi vim, quam præcipuè *Thee* à Θ e suo volatili habet, multum ad felicem

hydropis curationem contribuere possunt. Quòd autem ab hujus usu hydropem augeri potius quàm minui credant non pauci, id nos illum commendantes ob sequentes & superius jam allegatas rationes parvi pendimus, quippe augeri experientia contradicit, deinde non solum sudoris excretionisque \square na causam ministrat, sed etiam per glandulas intestinales humorum liberum promovet transitum, unde alvus nunquam pigra; Et licet quis diceret transire tamen ∇ am per eadem loca ubi serum quod hydropem produxit, sic nos illi respondemus parvam esse quantitatem, quæ per illa loca transit, atque hæc plus commodi quàm incommodi affert, hæc enim Hydropicorum ∇ a non augetur, sed dum hujus admixtione incalescit, resolvitur atque commovetur, per poros jam patentés atque à reliqua potus parte omnes corporis artus pervagante apertos, sensim evaporare, ac evaporando imminui potest: omnis itaque metus, ab hujus potus usu qui oritur, tantùm dicendus est panicus. Vid. W. H. WALDSCHMID. disp. de usu & abusu potus Thee, præcipuè in hydrope, Kilix. 1692.

Thef. XXVII.

Non planè omittenda ac negligenda quoque sunt topica; Sic Empl. contra hydropem August. abdomini impostum laudabilem manifestabit effectum. Plura hujus farinae & Empl. & Cataplasmata reperiuntur ap. SCHMIZ. *Med. Pract.* p. 118. in *Additam. MISCELL. CURIOS. MED. ann. 3. p. 294, 295. & obs. 340. p. 551. & PLATER. in prax. Traët. 3. p. 294, 295. & seq.* Idem etiam p. 294. immersionem corporis universi capite dempto in arena vel cineribus magni usus imprimis in Asciticis esse testatur. Illud remedium quod RIVERIUS in *praxi* p. 207. sibi expertum esse pronunciat, bufones scil. medios sectos & renibus applicatos, ∇ as Hydropicorum per \square nas educere præsertim si applicatio sæpius reiteretur; Quod & HELMONTIUS non tantùm confirmat, sed & addit se vidisse Hydropicum sanatum, alligata angvium senecta per ventrem & renes. Prius ob calorem parum præstat, quoniam autem alia & minus horrenda animalia dissecta majorem, ubi requiruntur, edunt effectum: Hinc bina nihil planè præstare

stare quisque ex eorum applicatione colliget & si quid efficiunt id non ab illorum, sed à superstitionis vi dependet, & si omnes, quare nihil efficere possunt, dare vellemus rationes, tam brevitatis terminum transgrediendo, quàm alia tractando, peccaremus, quæ de alligatione angvis renibus metum inducens unde indignationem amittere credit refertq; *HELMONTIUS* & absurda & ridicula videntur. Balnea artificialia & naturalia imprimis sicca & vaporosa omnibus præferuntur topicis.

Thef. XXIX.

Sed hæc Pharmacia! *Chirurgia* quid valeat, jam jam videbimus. Inter omnes & varias ejus operationes in limine statim V.S. se offert; Illam verò *AVICENNA* & præter illum paucissimi in omnibus hydropis admittunt speciebus: *HELMONTIUS* contra non in hydrope tantum, sed in omnibus morbis omnem, tanquam Diaboli inventum, rejicit Venæsectionem. Et certè hydropico exquisitè tali V.S. administrare velle, idem esset ac ægrum certissimè orci faucibus tradere, nec quicquam sanæ rationi magis contrarium atque absurdius esse potest, quàm tali modo sanguinis artibus jam depauperati ac ferè planè orbat, activitatis thesaurum penitus consumere. Nulla ergo hydropis species sui per V. S. indicat curationem; Nisi saltem quando quod non rarò accidit à suppressione Mensium atque hæmorrhoidum generata est, tunc enim, sed non nisi in principio, viribus visceribusq; adhuc integris & salvis locum habet, præterea sanguinis emissio sit admodum parca. Vide *Francisc. FEYNEUM Med. Pract. l. 4. c. 15. p. m. 485.*

Thef. XXIX.

In eadem ferè cum Venæsectione Cucurbitulæ scarificatæ; Vesicatoria, Fonticuli & setacea stant serie: Scarificationem in pedibus commendat *PLATERUS Tract. 3. p. 316.* dicitque quòd hæc scarificandi ratio cum consveta sit, minùs ab ægris repudietur. Licet & eò nomine possit videri nova, quòd cum tunc cute apertâ, aqua emanans inflammationem vehementem & quæ in gangrænam interdum convertitur facillè pariat, hoc ob vulnera hæc inflictâ accidisse suspi-

cionem facile possit excitare, Medicumque sic calumniâ onerare: Quam ut vitet hoc à pernicie aquæ effluere incipientis sive per scarificationem aut sponte id fiat, facile fieri solere, prædicere debet. Sed hanc prognosin cum vitæ periculo conjunctam plurimi abhorrebunt, ac quia tenuis & superficiali parum levaminis affert, magna autem & profunda ob gangrænæ metum est periculofissima. Hinc tutius ab his manum abstinere censemus. Idem ferè de *Vesicatoriis* ferimus judicium, hæc enim senibus & quibus calor nativus existit debilior minimè proderunt; In Junioribus & robustioribus nonnunquam proficua fuere, vid. *BONET. in Medic. Septentr. ETMÜLLER in prax. De loco applicationis* nondum inter Medicos conventum est; In abdomine & cruribus *CAPIVACC lib. 3. prax. p. 683. PASCHAL. de curand. morb. lib. 1. c. 44, p. 125.* alique applicationem instituendam esse docent. Alii contra Abdomini nunquam applicare volunt vesicatoria, juxta crura rem valdè dubiam perhibent. *Setaceorum* atque *fonticulorum* usus & minùs tutus & ob continuum feri effluxum statuitur molestissimus.

Thef. XXX.

Majori atque manifestiori etiam sectione nim. punctione vel unctione facta ∇ æ effluxus extra corpus procuratur; Nulla operatio autem est expeditior quàm quæ per puncturam abdominis paracentesin appellatam perficitur, per hanc enim totum abdomen molestantem educere valemus ∇ am, idque citius quàm ullâ aliâ ratione. Unde frequentis usus esse potest, maximè si in illis maturè atque in tempore instituitur ubi ∇ a nondum diu fuit retenta, viscera incorrupta, virium conveniens robur, venter ab ∇ a turget atque gravatur, hæc omnia si adsint ∇ am absque ægri animæ effusione, quod sæpissimè factum, effundere possumus. Quando autem venter ab ∇ non adeò gravatur, frustraneum ob ∇ in variis & sæpe multis vesiculis hærentem fasciperemus, apertionis opus. Quòd autem ∇ absque periculo interdum evacuari possit, confirmant non solum exempla ubi non pauci à natura umbilico perrupto vel casu vulnerato abdomine & hinc cum *in Opis* effluente ∇ teste *SCHENCK, FOREST.* atque

atque *HILDAN.* convaluere, verum etiam plures administrata paracentesi uti confirmarunt *RHOD. Cent. 3. obs. 14. TULP. Lib. 2. c. 38.* liberati fuere. Non vero improvide sed si in aliquo, certe in hoc morbo caute ac prudenter agere oportet Medicum naturæ ministrum. Cautione itaque summâ uti debet in operatione, ne perspectis prius omnibus circumstantiarum requisitis hic aliquem committat errorem; Locus igitur in abdomine sub umbilico tribus digitis, in lateribus eligatur, illic ubi oblique & transversim procidentes epigastrii muscoli mutuò sibi incumbunt, tutius enim eo in loco quam in medio sub umbilico ubi tendines musculorum concurrentes lineam albam maximeque nerveam constituunt, apertio instituitur. Ibidem itaque scalpellum vel aliud aptum instrumentum acutum per cutem musculos atque peritonæum sensim absque intestinorum læsione transeat, abdomenque aperiat ∇ profiliens certò excipienda est vase: Sed quia cum ingenti ut plurimum prodit impetu, hinc statim sufficientem ∇æ emissionem foraminis sequatur obstructio, ne tota simul emissa virium producat jacturam. Quod ne fiat aptissimæ ad hoc opus cavæ quæ pro lubitu aperiri, iterumque claudi possunt, impediunt argenteæ acus: Atq; post harum extractionem Empl. Diapalm. *SYLVII* maximè convenit. Ad scroti hoc humore abundantis atque tumentis curam apertio non leve addet momentum.

Thef. XXXI.

Atque hæc infimi ventris medela fuit: Superest ut adhuc de medii supremique ventris chirurgica cura aliquid moneamus. Quando itaque medius venter sive thorax ferè extravasati non parvam continet molem, quæ facili negotio diaphragma deorsum pondus suum premendo inspirationem expirationemque à quibus sanguinis motus atque vita atque ab hac omnis nostra dependet vita penitus impedire potest, deinde nobilissima corporis viscera, pulmones atque Cor à perpetua ∇æ inundatione magnam contrahere possunt noxam, ideoque prius quam hæc fiant ♥ removeatur, sed magnum molestumque nos simul cum agro sustinebimus laborem si utrumque quod mediastinum cum appensa
glan-

glandula thymi efficit occupat hæmisphærium. Utrumque igitur aperiendum est pectoris latus ubi ob vasa intercostalia cautè admodum agendum, præcipiunt quidem nonnulli cum Hippocrate ipsius costæ perforationem, sed hæc ob metum fistulæ atque humoris contenti sæpè crassi viscidique per angustam portam minùs felicem proventum non adeò videtur accommodata, feliciùs atque majori cum ægri levamine perforatio non in, sed inter costas instituitur, dirigendo scilicet scalpelli aciem ut costæ superiorem tangat regionem, ibi enim nulla vasorum læsio contingere potest, quippe per anatomiam constat vasa intercostalia immediatè infimam costarum tangere partem; In utroque itaque latere urgente necessitate musculorum sectio jam dicto rectè instituitur modo, & quidem inter costam quintam & sextam vel si debilis diaphragmatis adest motus unde ipsius læsionis periculum minus, inter sextam & septimam, prout id Medico consultum videtur, administratur.

Thef. XXXII.

Tandem supremus venter, vel extra Cerebri firmissimum integumentum videlicet sub membrana carnosa pilisque donata atque pericranio, vel sub hoc atque perioftio, vel inter hoc atque ipsum cranium, ¶am serosam fovet, quæ secundum artem evacuanda. Sed si inter Calvariam atq; duram, vel inter hanc & piam colligitur matrem, evacuatio absq; trepanatione fieri non potest, fiat igitur locò convenienti absq; futurarum læsione, atq; eousque pertingat, quo membrana humorem cingens aperiatur. Atq; hæc ratione contumacissimi universalis, periculosissimorumque particularium hydropicorum affectuum verum subjectum, varias causas, causarum genuinam remotionem, ægrique integerrimam restitutionem quantà possibile fuit brevitate atq; perspicuitate proposuimus. Pro ægri atq; causarum varietate igitur prudens atq; judiciosus Medicus in cura prudenter quoque atq; cautè procedat, ut inde ægri statum meliorem ac nominis sui famam reddat majorem, atque simul cum nobis pro concessa sua gratia summo Numini grates solvere queat religiosas atque infinitas.

Doctus es, & meritum doctrinae insignis capes-
fis.

Est bene: sic infers gaudia magna domum.

*gratulatur novos honores CL.
Candidato*

JO. GOTHOFREDUS BERGER, D.
Academiae h. t. Rector.

B. C. D.

Parente digne Laemio Tuo fili

O Aesculapi, & artis optimaë prome,

Parente digna perficis fugans mortes

Aeterna ab Urbe! Filiis inest virtus

Patrum: Columbas dat Tonantis haud ales.

En HORSTIOS, SEBIZIOS, BAVHINOSque,

Et SCHRÖCKIOS, MENZELIOS, SCHEL-

HAMMEROS,

BIRNBAVMIOS ac VVEISIOS, ut & plures;

Adorea est per filios propagata.

His adde nunc *Rü*ELIOS! PATRIS Virtus

In FILIO feliciter coruscabit!

ignodiale

GEORGIUS FRANCVS de
FRANKENAV.

Judicet in Medica quantum RUELIUS arte,
Judicium facile is qui legit hacce dabit:

Quam

Quàm solidè Hydropis minas causasque ma-
lignas

Quæque paranda illi sit medicina docet.

Digna Patris soboles, pulchro de sanguine san-
guis,

Virtutem ad patriam cui properare placet.

Non Te pœniteat multi magnique laboris

Cujus jam letus premia summa vides.

Assurgunt, facilesq; adsunt TIBI ad omnia
Muse,

Et spondent Capitiserta decora Tuo.

Honoribus optimè meritis Nobilissimi Can-
didati, Fautoris & Affinis sui honoratissi-
mi applaudebat

CHRISTIANUS VATER, D.

P. P. & Phys. Prov.

INter aquas medias optat sibi Tantalus undas,
Accumulatque sitim perditus iste siti:

Hydropis pariter turgens aqualiculus undas

Undis infercit, damna cacatque sibi,

Consiliô sanô succurris Docte RVELI,

Pagina docta probat, noscitur ungue Leo!

εὐφρησίας ἐρεκε f.

D. GEORG. FRIDERIC. FRANCVS
de FRANKENAV.

F I N I S.